

Monasteriensis Episcopus, et facta est dissensio pro electione. Quare & hunc Episcopum, religione in Deum, morum sanctitate, & rerum gestarum gloria in paucis celebrem, post xxviii annorum labores Deus ex hisce Imperij turbis ad immortalam vitam transtulit. Nam quanta apud Fridericum & Henricum VI Imperatores in auctoritate fuerit, quæq; in expeditione sacra, & in varijs legationibus, ac Principum conventibus egerit, quantumq; ex Cancellarij munere apud Ottonem pro pace Imperij laborarit, supra diximus. Nec minus de suo Episcopatu laudabiliter meritis, quem cognomento Pium ejus ævi Patrem Patriæ dixere Monasterienses. Hujus Episcopi præclara monumenta sunt Basilica Cathedralis, Urbs Monasteriensis cum portis & mœnibus ex incendij ruinis instaurata. Ejus liberalitate duo Canoniorum in urbe Collegia D. Ludgeri & Martini condita. Duo præterea ab eo castra è fundamentis erecta, Nienburgum ad Dimolam fluvium, & Landeggium in Embslandia. Illud nobilium inopum ac Ministerialium domicilium, hoc vero munimentum adversus Comites Teclenburgenses & Twentios esse voluit, quod in ea tempora inciderat, quibus sago non minus quàm toga opus erat ad defensionem Episcopatus. Quare sumptis etiam adversus Hermannum Ravensburgicum Comitem armis, qui ex Philippi Regis factione diœcesin infestabat, Bilfeldiam obsedit, expugnatoq; Oppido, imperatum civibus urbis suæ mœnia demoliri; utque ad posteros etiam victoriæ signum transfiret, jussi sunt præterea cives omnium quercuum, quæ in vicinis nemore erant, capita amputare, quarum exinde trunci sine cacuminibus, & ramis ad multos annos instar tropæi conspecti steterunt. Sed omnium operum ejus pulcherrimum fuit Cœnobium Marienfeldense, quod eo auctore adjutoreque conditum fuit, & mox religiosis viris, opibusq; totius Westfaliæ florentissimum extitit; in quod postremum ipse Episcopus turbarum bellorumque pertæsus secessit, vitamque inter Cœnobitas amplexus est. Tradunt præterea Marienfeldenses, religiosum etiam apud se Monachi habitum abdicato Episcopatu induisse, quod hac sepulchri inscriptione constare volunt.

*Nobilis hic Præsul à Sede sua jacet exul
Propter te, Christe, pro te, sua qui dedit & se.
Hic primum templi lapidem jaciens jacet isti*

*Subjæctus lapidi, templi lapis ipse superni
Vivus, & electus sit sacris adibus aptus.
Et sibi jungat eum lapis, utraq; qui facit unum.*

Sed hi versus nondum satis nos expediunt, utrumne abdicato Episcopatu religiosam vitam sit professus, eo quod habitu Episcopi cum mitra & omnibus Pontificis indumentis Cippo insculptus conspiciatur, & ab obitu Hermanni, ut Godfridus memorat, primum contentio de Episcopatu exorta sit; præterquam, quod nullus Scriptorum de exilio hujus Episcopi, aut de Episcopatu abdicato, sumptoque Monachi habitu meminerit. Sed quoquo modo se ista habeant, haud ultra annum hic quietis vitæq; privatæ locus Hermannus esse potuit, quod superiori adhuc anno, ut diximus, in aula Ottonis Regis & Cancellarij munere versatus sit. Mortem Hermanni Monasteriensis & Bernardi Paderbornensis Episcopi in eundem annum contulimus, quorum hic mense Aprili, ille Junio excessit; ita propè se consecuti, nimirum ut quos integerrima semper vita animis, consilij, & laboribus pro Ecclesia susceptis inter se devinxerat, hos pro meritis suis exitus & vita cœlo simul conjungeret.

ANNA-